

si cu aduitorio alterius. Et potes facere coparationem de aqua ad voluntate: et de caliditate et frigiditate ad amorem dei et suipsius. Exerce ergo te.

De fructibus amoris qui oriuntur ex isto duplici odio. Titulus. clxxiiij.

Et quoniam amor tenet principalitates et primitate odij. semper amor est principalis et primus. et ex amore oritur odium. id enim habeo odium alicui rei. quoniam amo aliquid. et ideo quod sunt duo amores ita sunt duo odia. et quilibet amor ipsorum duorum respicit duo odia. quia unum respicit aliud tanquam oppositum et inimicum suum. et aliud tanquam suum amicum et sibi conueniens. Et amor dei respicit odium dei tanquam suum oppositum. et respicit odium suipsius seu proprie voluntatis tanquam amicum. Et sicut est de amore suipsius qui respicit odium suum ipsius tanquam oppositum. et odium dei tanquam amicum. Et ideo sicut amor dei est optimus ordinatus iustus. et sic de ceteris proprietatibus iam dictis. ita odium dei quod est oppositum est pessimum: inordinatum iniustum. et sic de alijs additionibus oppositis. Et similiter sequitur quod odium proprie voluntatis est bonum: ordinatum iustum: et sic de alijs. sicut amor dei cum quo conuenit. Et sicut amor suipsius est pessimus: inordinatissimus: et sic de alijs. id sequitur quod odium suipsius est ordinatum bonum: et quod ei opponitur. et sicut odium est bonum et aliud malum. Quia ergo ex amore oritur odium. et bonum odium oritur ex bono amore. et malum ex malo amore. possumus dicere quod fructus illi qui sequuntur ex bono amore: sequuntur ex bono odio. et illi fructus qui sequuntur ex malo amore: sequuntur ex malo odio. sed tamen principaliter ratione amoris. quod odium sequitur amor. Et sic de odio sue proprie voluntatis sequuntur fructus qui sequuntur ex amore dei. et priuantur fructus qui sequuntur ex amore proprio et omnia mala sua. et de odio dicitur oriuntur omnes pessimi fructus qui sequuntur ex amore proprio: et priuantur omnes boni fructus qui oriuntur ex amore dei. Et hec sufficiant que sunt de amore et odio. et de primo debito obligationis quod est debitum amoris dei.

Sequuntur alia debita que deo debentur

rum: quod homo debet et obligatur dare et reddere deo ultra amorem. Et primo in generali: et postea in speciali de quolibet.

Titulus. clxxiiij.

Quoniam tra

cratum est autem cum dei adiutorio de principali et primo debito obligationis naturalis quod homo debet dare deo de iure naturali. scilicet de ipso amore. et visum est qualiter ipsa obligatio et debitorum et solutio debitorum. scilicet dare amorem deo. totum reddat in maximam bonum hominis. imo hoc est totum bonum hominis in quantum homo est. quod prout hominem in deum: et dat gaudium infinitum. id est quod tantum bonum sequitur homini si det sibi amorem. debet homo continue inquirere et investigare in seipso si habet aliquid aliud in se quod possit dare quod conueniat deo. quoniam sicut de amore sequitur maximus fructus homini et maximum bonum. ita de omnibus alijs que dabit deo sequetur maximus fructus et maximum bonum homini. Et sicut si homo non dat deo amorem. sequitur infinitum damnum et malum homini. ita si non dederit deo alia que debet ei dare. sequetur infinitum damnum et malum homini. Et ista utilitas. iste fructus. istud bonum maximum: et vitatio mali tanti debent inclinare hominem: ut det omnia que poterit deo. Et non solum hec debent inclinare hominem ut det deo omnia que poterit. sed etiam fortissima obligatio iam probata. quod fructus illi omnia que poterit dare debet deo. Unde quod homo est opus dei: et deus est suus opifex et suus artifex. qui eum totum fecit cum non esset et homo est factura dei et creatura: et non solum hoc: sed et propter ipsum fecit deus omnia alia opera et alias creaturas. id est quicquid homo habet: et que quid poterit totum accipit a deo. et id totum debet suo artificio. et tantum obligatur homo deo quantum opus suo artificio. et magis adhuc. quod deus totum fecit et ipsum hominem et omnia alia. Et quod opus deus amare suum artificem: et timere et laudare et honorare si poterit facere. id est cum homo sit opus dei viuus: et possit amare: timere: laudare: honorare et glorificare: deus omnia ista dare deo: et nulli alteri deus totum se debet. Et autem homo debet clare cognoscere que sunt illa specialiter que debet facere

Oia de bemus do dare

deus: debet cogitare in seipso: quod quicquid habet opus aliquod: totum posuit et ordinavit artifice. propter aliquod: et non in vanum. et nihil posuit frustra: quod ille qui facit opus vel fieri facit propter seipsum facit: ut ei seruiat in aliquo et secundum quod seruitium erigit et requirit: taliter fit et disponit opus. Et ideo aliter fit domus. aliter gladius. aliter serra. aliter clavis. Et quia homo cognoscit se esse opus dei factum ab ipso solo. potest cognoscere quod quicquid posuit deus plus in homine quam in alijs rebus: quod totum posuit propter seruitium suum. scilicet ut de hoc seruiat ei principaliter et non inuaniam. et quod quicquid habet: totum habet propter suum artificem. ita quod sicut quicquid habet res alie. quod facte sunt propter hominem: habent propter hominem. ita quod quicquid habet homo ultra alia opera facta: habet propter deum. et ut de hoc seruiat deo immediate. quod inter deum et hominem nullum est medium. Et ideo quod homo habet libere arbitrium. scilicet intellectum voluntatem. cum quo potest intelligere velle: amare: timere: honorare: gratias reddere: cognoscere beneficia: laudare et honorare: adorare: orare: deprecari: supplicare: credere: confidere. magnificare: glorificare: benedicere: gaudere: letari et exultare. et alie res non habet omnia ista. nec habet cum quo possent hec facere. sequitur quod homo habet omnia ista propter deum immediate. ut cum istis seruiat deo et omnia illa applicet deo factori suo et omnia reddat ei. Quid enim debet cognoscere ipsum opus factum nisi factorem suum postquam potest et habet cum quo? Ad quod datum est sibi a factore suo ut hoc possit facere nisi ut ipsum cognoscat? Quid debet amare opus factum. quid debet velle nisi suus factor postquam potest et habet cum quo? Ad quid dedisset sibi hoc nisi ut amaret ipsum? Cui debet dare amorem opus nisi factori suo? Quid debet aliud timere opus factum nisi factorem suum. postquam cognoscit ipsum. et habet cum quo potest timere? Ad quid datum esset sibi ut possit timere: nisi ut timeret ipsum? Quod debet honorare opus factum de nihilo: nisi factorem suum postquam potest et scit? Cui dabit honorem et reuerentiam nisi factori suo? Quem alium debet adorare opus nisi opificem postquam potest? Cui debet supplica-

Liberum
arbitri-
um tene-
mur deo
dare.

re. cui debet curare genu opus factum de nihilo nisi factori suo: Quem debet orare. quem debet deprecari nisi factorem suum postquam potest? Cui debet gratias reddere opus totaliter factum de non esse: nisi factori suo postquam scit et potest? Cui totum se debet opus nisi factori? Cui obligatur nisi factori suo? Quod debet amare. quod debet glorificare. quod debet magnificare: quod bene dicere ipsum opus nisi suum opificem? Cui debet dare laudem et gloriam et honorem: nisi factori suo postquam potest? Cui ipsum opus factum de nihilo debet credere. et in quod debet sperare. in quod debet confidere: nisi in factore suo? De quod debet letari et gaudere et exultare opus nisi deo suo artifice? In quod debet complacere. in quo debet consolari: nisi in suo factore? Quantum obligatur opus factum de nihilo factori suo: qui fecit ipsum et viuunt: et quod possit cognoscere suum factorem? Que dignitas est ista. quod opus possit cognoscere suum opificem? Quantum obligatur opus factori suo qui fecit ipsum. cum nihil esset simile sibi. cui dedit suam imaginem viuentem: intelligentem: cognoscentem et amantem et memorantem. cui dedit inextinguibilem libertatem. cui dedit ut possit seipsum mouere: et de uno loco ad alium per se ambulare? Quantum obligatur opus factum factori suo: qui fecit ipsum maiorem: excellentiorem: dignius: aliter: nobiliter et superius omnibus alijs operibus suis. qui ipsum magnificauit: nobilitauit super omnia alia opera sua. cui soli et non alijs suam imaginem viuam dedit. super quod nullum aliud opus posuit. qui fecit ipsum dominum aliorum operum suorum. propter quod fecit et ordinavit omnia opera sua. et ipsum propter nullum aliud opus fecit: nec ad aliud ordinavit nisi ad seipsum immediate? Quantum obligatur illud opus factori suo: qui fecit ipsum solum et non alia opera. et ordinavit ad se. scilicet ut in eternum maneat secum. et seipsum cum habiteret. et cum eo habere eternum gaudium eternam letitiam cum eo. et viuat in eternum in sua societate. ut et sibi comunicet bona sua: se ipsum: et quicquid habet? Quantum obligatur opus illud factori suo. cui soli et non alijs voluit dare nomen filij: et ipsum filium appellare: et nomen suo nominari: et seipsum patrem eius vocari: cum non sit de natura sua: sed de nihilo factum? Ecce ergo et eo quia homo est opus dei factum de nihilo: et

Titulus. clxxvi

Oia deo debent sub sua ratione. ista: quia homo vni soli obligatur: et totum debet illi. **A**ntem vniuersum quod istorum debitorum debetur deo pro sua propria ratione specialiter. **E**t per aliam rationem in speciali deo debet amor. et per aliam timor: et per aliam honor. et sic de alijs. **Q**uia enim sunt distincta et diuersa dona inter se. et vnum non est aliud. ideo sub vna ratione debet dari vnum: et sub alia ratione aliud. **U**nde amor non est timor: nec honor nec timor est honor. nec potest dari amor sine timore et honore. nec timor sine honore et conuerso. **Q**uamuis ergo omnia debeant deo: tamen sub distinctis rationibus. **U**nde deus est primo amandus. quia est primo bonus et summe bonus et solus bonus. quia nihil est bonum nisi per ipsum: et ab ipso. et eo modo quod est bonus est amandus. et quia est summe bonus: est summe amandus. et quia est purissime bonus: est purissime amandus. et quia in infinitum est bonus: in infinitum est amandus. quia nihil est bonum nisi propter ipsum: nihil est amandum nisi propter ipsum. **I**tem deus debet primo amari ab homine. quia deus per ipsum primo amauit. et propter dona et beneficia que illi dedit. quia totum quod habet ille dedit et ab eo accepit et se ipsum. **P**ropterea deus est timendus: et ei debet timor. quia est dominus omnipotens. et eo modo quod est dominus est timendus: et eo modo debet ei timor. **E**t ideo quia est omnipotens deus et infinitus et summus. ideo debet ei summe timor et infinitus. et est in infinitum timendus. **E**t quia est primo dominus. ideo ei debet soli timor. et solus est timendus. **E**t quia verissime est dominus: verissime est timendus. **E**t quia semper est dominus: semper est timendus. **E**t quia solus est dominus hominis et nullus alius. ideo debet timeri ab homine solo. **P**ropterea deo debet honor et est honorandus. quia est primo et quia principium: et quia maior. et eo modo quo est primo et maior et principium: est honorandus. **E**t quia est primum principium: et primo. ideo primo honorandus est. et ei debet primo honor. **E**t quia ipse solus est principium per se. et nihil est principium per se nisi deus. ideo proprie solus est honorandus per se. et nihil est honorandum per se nisi ipse. et quicquid honorandum est: est honorandum propter ipsum. et quicquid est principium: est principium propter ipsum. **E**t quia est summum et infinitum principium. ideo summe et infinite honorandus est. **E**t quia est verissime principium. ideo verissime est ho-

norandus. **E**t quia est primum principium hominis. ideo ab homine debet primo honorari et dari honor. **I**tem deo debet obedientia: quia est superior. et eo modo quod est superior: est ei obediendum. **I**tem deus est laudandus et glorificandus. quia est operarius et artifex seu opifex. et eo modo quo est operarius seu artifex: est laudandus et glorificandus. **E**t ideo quia est summus et optimus et sapientissimus et primus et solus operarius et artifex. ideo solus et summe et primo est laudandus et glorificandus. et ei debetur laus et gloria primo. **E**t quia est operarius et artifex hominis. ideo ab homine est laudandus. **I**tem deus est credendus. et ei debetur fides et credulitas. quia est verus: et non mendax. et eo modo quo est verus: eo modo debet ei et fides. **E**t ideo quia est primo verus et perfecte verus: et est prima veritas. ideo debetur ei primo et per se fides. et quia est summe verus. ideo debetur ei summa fides et credulitas. **E**t quia in infinitum elongatur a mendacio. quia non potest fallere nec falli: ideo in infinitum debet ei crediti. **P**ropterea deo debetur confidentia. quia est fidelis. et eo modo quo est fidelis: ei debetur confidentia: et in eo confidendum est. **I**tem deo debetur spes: et in eo sperandum est. quia potens et volens et sciens iuuare et saluare et dare. et eo modo debet ei spes quo modo est potens: et eo modo est in eo sperandum. **E**t quia solus est potens: et nullus alius. et primo potens et summe potens. ideo in eo est primo et solum et summe sperandum. **E**t sic de omnibus. **¶** Sic ergo alia ratio ne est deus amandus. alia ratio timendus. alia ratio honorandus: et sic de alijs. **E**t quia in ipso sunt omnes rationes iste dicte. ideo sibi soli debet dare homo omnia ista et primo. **N**on ergo sufficit homini dare solum amorem: nisi etiam det ei morem et honorem: laudem et gloriam: fidem spem et obedientiam et confidentiam. quia omnia debent ei sicut amor. **S**ed primo et principaliter amor. quia in hoc correspondet deo de simili. quia deus amor est et dat amorem. sed non honor et timor. et sic de alijs. **E**t ideo principalissimum quod ei debetur est amor. sed non vult solus amorem: sed vult

Et obediendum.

Laudandus.

Credendum.

Sperandum.

Deus est amandus.

Timendus.

Honorandus.

